

XVIII.

Ad Batoniensem episcopum, et abbatem Forderensem.
— *Commendat causam monachorum de Fontibus.*

Pro causa fratrum nostrorum de Fontibus, quæ a dominó papa vestræ committitur pietati, vobis quidem de superfluo scribimus; cum credamus, satis superque vestris pectoribus insitum, ut judicetis in justitia pauperes, et arguatis in æquitate pro mansuetis terre. Causa quoque ipsa, sicut bene confidimus, ita sovetur beneficio juris, ut non multum debeat officio judicantis. Verum, quia sic eis visum est, visum est et nobis, ut vestram humiliiter excellentiam imploremus; quatenus intret in conspectu vestro gemitus afflictorum; nec patiamini, ut illius pauperes legibus onerentur inquis, qui humanæ dismissionis judicia statera ponderaturus est æquitatis. Veniet, veniet dies illa, quidquid interim Christi pauperes patientur, quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiarunt et qui abstulerunt labores eorum. Perhibemus autem et nos testimonium veritati, quod vir venerabilis D. Philippus, cuius verbo dominus Eboracensis videtur inniti, tanquam ille ex parte conventus et causæ abrenuntiaverit et querelæ, contra omnino asserit et testatur, hoc solum se dixisse commemorans, expedire magis eis misericordiam sui et patroni et pontificis exspectare, quam cum eo sub dubiæ litis marte contendere. Quocirca rogamus vos et obsecramus in Christo Jesu, ut quemadmodum accepistis a domino papa, quomodo vos oporteat ambulare, et in causæ examinatione procedere, ita Patres, agere studeatis, et commissum

A vobis negotium juxta mera causæ merita diffinire. Scitis enim, quam periculosum sit deferre personæ si exinde contingat aliquid deperire justitiae.

XIX.

Ad Albanensem et Prænestinum episc. — *Rogat, ut eorum malefactores coercentur.*

Cur eos disjungat vel apex unus in litteris, qui uno junguntur apice dignitatis: vel cur diversitas quæratur in chartulis, ubi simplex viget unitas charitatis? Duobus ergo vobis scribimus, tanquam uni; quia dum iu uno quolibet suscipimus alterum, singularem affectum colimus in pluralitate duorum. Domesticus vobis est Ecclesiæ nostræ status, a quibus non peregrinatur affectus. Posita est, ut scitis, inter gentes indomitas, et Gallica fortitudine contumaces; que dum sua per intemperantiam prodigunt, aliena per violentiam diripiunt et prædantur. Ideoque mediante sollicitudine vestra rescriptum nobis pelinus sedis apostolicæ prorogari: quo archiepiscopis et episcopis terræ nostræ generalis mandati statuatur auctoritas, ut de malefactoribus nostris plenam nobis justitiam faciant, nec in eos aliqua postmodum absolutio prodeat, si digna satisfactio non præcedat. Cessent a sacri participatione mysterii villæ, oppida, civitates, quandiu ibi B. Remigii præda constiterit; ut proveniat nobis rerum indemnitas amotarum, dum illis interdictur sollemnitas divinorum. Ilæc interim per vos, et quidem magna depositimus; in quibus si nobis dilectio vestra responderit, sicut, ut cum oportuerit, majora poscamus.

ANNO DOMINI MCLXXXVII

AIMERICI PATRIARCHÆ ANTIOCHENI ET TERRICI TEMPLARIORUM MAGNI PRÆCEPTORIS EPISTOLÆ

I.

Aimerici patriarchæ Antiocheni ad Ludovicum regem Francorum. — Relata Turcorum in Christianos victoria, ipsis implorat auxilium.

(MARTEN., Ampliss. Collect., I, 870.)
Anno ab Incarnatione Domini 1164 missa est hæc

D epistola a patriarcha Antiochiae regi Francorum Ludovico, ita se habens.

AMERICUS Dei gratia sanctæ sedis apostolicæ Antiochiae patriarcha Ludovico, regi Francorum illustri, salutem et patriarchalem benedictionem.

Regiae majestati decebat nos semper læta scri-

ber, et splendorem pectoris ejus verborum splendore et dilectione sovere. E contrario autem semper factum est nobiscum. Continuae quippe sunt occasiones flebiles, continuus dolor et gemitus, nec possumus loqui, nisi in quibus versamur. Sic enim vulgo dicitur, ubi dolor ibi lingua et manus. Mortes Christianorum frequentes et captivaciones, quas quotidie videmus, consumptio etiam Orientalis Ecclesiae, inenarrabili nos affligit dolore, qui ad internacionem penitus excruciat, in amaritudinibus animæ viventes morimur, et anariorem morte vitam ducentes, ad cumulum miseriarum nostrarum ex toto non possumus mori, nec est qui recognitet in corde suo, et clementia motus manum porrigat ad sublevandum. Sed ne verbis diutius immoremur, perrarus qui apud nos est populus Christianorum, una nobiscum ad vos clamat, clementiam vestram præeligens, quæ post Deum sufficiat nos et Ecclesiæ Dei in Oriente liberare. Et ut ordo rerum circa nos gestarum ex toto notus sit vobis, Quadragesima quæ proxima præterit, quidam de hominibus illis qui circa nos sunt inter Saracenos major habetur et christianitatem nostram super omnes qui longe ante fuerunt oppressit, princeps militie ejus et Damascum procurans, qui possessurus cum ingenti Turcorum manu intravit Ægyptum. Rex igitur Ægypti, qui et soldanus Babylonæ dicitur, de sua suoruaque virtute diffidens, adversus supervenientem gentem Turcorum bellicosissimam consilium babuit quoconque modo posset regem Jerusalem querere adjutorem, sapienti usus consilio, malens regnare sub tributo, quam spiritu privari simul et regno. Ille igitur, ut diximus, ingressus est Ægyptum, et quibusdam terræ illius sibi sauentibus, civitatem quamdam occupavit, quam et munivit. Interca soldanus cum domino rege pactionibus agens, de persolvendo omnibus annis tributo, de captiis Christianis omnibus liberandis ex Ægypto, dominum regem auxiliatorem suscepit. Qui instantे articulo profectionis suæ nobis et novo principi nostro cognato suo Boamundo, illius Raymundi principis filio, in redditum usque suum tam regni sui quam et terræ commiserat curam. Magnus itaque ille Christiani populi interfector, e vicino nobis positus, collectis undique infidelium regibus et populis, volens licentius transire ad depopulandum regnum Jerosolymitanum, ut quam posset opem ferret homini suo in Ægypto laboranti, principi nostro pacem et trevias obtulit, multotiesque requisivit, nec fuit principis consilium usque in domini regis redditum illi de pace acquiescere. Cum igitur videret quod proposuerat se explore non posse, fremebundus in nos arma convertit, et quoddam castellum nostrum Haren nomine, duodecimo ab urbe nostra milliario distans obsedit. Obsessis autem ad nos jugiter clamantibus, qui circiter septem milia erant inter bellatores, mulieres et infantes, nec cessantibus diu noctuque, ut misericordem eorum, die etiam designato ultra

A quem tenere non possent, contractis undique viribus, princeps noster die Sancti Laurentii egressus, Antiochiam usque ad castellum, salvis omnibus qui cum eo erant, perrexit. Turci vero, sicut sunt callidi, obsidionem dimittentes, non longe a castello inter angustias locorum in terra sua substiterunt. Altera autem die nostri ad id locorum Turcos insecuti, cum se non satis sapienter ageant, commiso prælio terga dederunt, adeoque infelicitè pugnatum est, ut nullus ex nobis fere evaderet alicuius nominis, nisi quem fortitudine equi, aut casus aliquis de tumultu illo eripuit. Retentus est princeps, retentus est et comes Tripolis, quidam Græcus etiam Calamannus magni nominis dux Mamistiensis, Hugo de Lusiniano, fratres Tempoli et Hospitalis aliqui, qui de terra Tripolis cum comite venerant : detruncati alii, alii capti, de populo nullis aut perraris salvatis, ad summum penitus consumptis hominibus, et equis, et armis. Post Christianorum stragem, ad castellum prædictum Turci revertentes, illud obtinuerunt, ex pactione debilem multitudinem tam mulierum quam infantum et vulneratorum usque Antiochiam perduentes. Qui postmodum ad urbem accedentes, totam terram pervagati sunt, usque ad mare in ore gladii, et igne circa omnia, quæ in oculis eorum fuerunt, pro libitu tyrannide exercentes. Testis est Deus, quia reliquæ, quæ remanserunt nobis, minime sufficient diurnis nocturnisque excubitis murorum, quorum custodiā etiam eis quos suspectos habemus, ex penuria hominum tradimus et tutelam : portas, relicto ecclesiarum usu, clerici et presbyteri custodiunt ; nos ipsi murorum vigilis surgentes insistimus, fracturas eorum ex terra motu multas in multo labore quomodo possumus, sine intermissione reficimus : et hoc totum frustra, nisi benigniori vultu nos respexerit Deus ; neque enim speramus diu subsistere, attendentes virtutes hominum hujus temporis deperiisse et nullas esse ; sed hoc facimus, ut quidquid potuit fieri, intentatum non fuerit a nobis. Super omnia in hoc nos inducit sola anchora, quæ relicta est spei nostræ, quod ab omnibus audivimus de magnitudine vestra, quia semper haec ad nos anhelans super reges Occidentis universos in ore habeat Orientem. Unde datur intelligi nobis, quia non erit gaudium vestrum plenum, donec impleveritis, quod aliquando propter meritâ nostra non est datum nobis, et est nobis spes, quod in manu vestra visitabit Dominus populum suum, et miserebitur nostri. Ingrediantur in aures summi et incomparabilis principis suspiria et gemitus Christianorum, pungant cor ejus tormenta et dolores captivorum. Et ne longius modum excedamus epistolæ, aut sub exspectatione hac vana desiccamus, umbraque mortis diutius consumamur, rescribere nobis et respondere dignetur majestas regia placitum suum, et non erit nobis grave quidquid in verbo ejus sustincamus. Augeat Dominus Jesus Christus in corde regis desiderium quod de

sideramus, ut accendat illud in cuius manu corda A sunt regum. Amen.

II.

Aimerici ad Henricum Anglorum regem. — Ejusdem argumenti.

(BARON. *Annal.* ad an. 1187, num. 5.)

AMERICUS, Dei gratia sancte et apostolice sedis Antiochiae patriarcha, HENRICO, per eamdem gratiam Anglorum illustrissimo regi, dilecto domino et amico, in illo regnare per quem reges regnant.

Cohignum et inestimabilem dolorem nostrum pro insperato et terribili quod nobis, imo toti Christianitati nuper accidit, infortunio, cum lacrymis et singultibus excellentiæ vestrae per hæc præsentia denuntiamus. Audiat vobiscum omne sacerdotium dolorem nostrum, ut sciat unde veniat, aut quo tendat noster luctus et nostra lamentatio. Quarto die mensis Julii, anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octogesimo septimo, Saladinus, collecta hostium peregrina multitudine, prælium commisit cum his qui erant in terra Iherusalém Christianis, et fusis eorum copiis de ipsis pro velle suo triumphavit, vivifica cruce ludibrio Turcorum exposita, capto rege et magistro Templi, Raymundo quoque principe proprijs manibus Iesandi Saladini interfecto : et episcopis, cum Templariis et Hospitalariis, et cum omni fere multitudine MCC et peditum triginta millia in tuitione S. crucis gladiis jugulatis, excepta multitudine copiosa quæ postea in urbibus quas cepit, est interempta vel captivata. Satatus denique sanguine Christianorum, Tiberiadem cepit et muniuit : deinde civitatem nobilem Accaron [Accon], Cayphas, Cæsaram, Joppen, Nazareth, Sebasten, Neapolim, Lydden, Ramatham, Arsur, Hebron, Bethlehem et tunc demum sanctam civitatem Iherusalem, et sepulcrum Domini obsedit, jurius quod ipsum frustatum communiet, et ejus minutias in profundum maris projicit. Pro residuis formidolosa nos detinet hæsitatio, ignorantis diem et horam in qua subjiciantur ditioni ejus et habitatores earum vel captiveuntur, vel occiduntur, maxime cum virtualibus et æquitaturis et armis bellicis et defensoribus constet esse spoliatos.

Pro hac tanta ira et indignatione Dei in nos effusa desuper, panem nostrum cum lacrymis manducamus et turbamur terrore horribili, ne sepulcrum Dominicum exteris tradatur nationibus, ne pauci, qui remansimus in terra Christiana, si tardaverit succursus, urgentibus inimicis, nostras cervices gladiis ferientium supponamus. Et quidem prudenter et opinione et divitiis cæteris regibus Occidentilibus præminetis ; cuius auxilium semper exspectavimus : precamur ut Terræ Sanctæ potenti festinanter succurratis auxilio. Et si tardaveritis sepulcrum Dominicum cum Antiochia nobili civitate, et terra sibi adjacente in opprobrium sempiternum exteris subjacebit nationibus. Mementote laudis et nominis vestri, ut Deus qui vos sublevavit [sublimavit] in regnum, per vos exaltetur. Et si huic tam

A digno operi volueritis magnum apponere, ut veniat, vel optatum nobis mittatis succursum : totius Terræ Sanctæ liberatio vobis post Deum imputabitur, et nos ipsi, in quantum possumus, lugentes, et rea pectora nostra percutientes ad Deum clamamus ut ipse donet vobis, et velle et posse ad ipsum sic perficiendi ad laudem et gloriam sui nominis : quatenus in hoc mortis articulo Terræ Sanctæ et nobis clementer succurratis. Alioquin nobis, qui variis subjacentes periculis diutino languori succumbimus, jam necesse erit exspirare, et fuso sanguine Christianorum, Dominicum sepulcrum, et Antiochiam nobilem civitatem cum terra sibi adjacenti in opprobrium sempiternum exteris nationibus subjaceret. Rogamus præterea, ut dilectos fratres Cabilonensem, et Valeniensem episcopos, quos pro hoc ipso ad vos mandavimus, commendatos habeatis. Valete.

III.

Aimerici ad Hugonem Etherianum. — Librum ejus contra doctrinam Ecclesiæ Græcæ laudat.

(Vide in Hugone Etheriano, *Patrelogie* tom. CCII.)

IV.

Terrici magni Templariorum præceptoris ad universos fratres Tempii. — De clade Christianorum.

(BARON. *Annal.* ad an. 1187, n. 4.)

Frater TERRICUS, pauperrimæ domus Templi dictus magnus præceptor, omnisque fratrum pauperissimus, et fere omnino annibilatus conventus, universis præceptoribus et fratribus Templi, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et in illum susprire in quo sol et luna mirantur.

Quot quantius calamitatibus ira Dei, nostris peccatis exigentibus, nos in præsenti flagellari permiserit, nec litteris, nec fleibili voce (proh dolor !) explicare valemus. Turci enim immeusam suarum gentium multitudinem congregantes, Christianorum nostrorum flues acriter invadere cœperunt; contra quos nostrarum gentium phalanges coadunantes, infra octavas beatorum Petri et Pauli in eos congregati, et versus Tiberiadem (quam violenter, castro solo relicto, ceperant) iter arripere præsumpsimus. Cum nos in scopolis pessimis impulissent, nos ita acriter impugnaverunt, quod S. cruce et rege nostro captis, et omni multitudine nostra interfacta, et fratrum nostrorum (ut in veritate credimus) eodem die ducentis et tricenii decollatis (exceptis illis sexagenis qui prima die Maii interempti sunt), vix dominus comes Tripolis, et dominus Reginaldus Sidonis, dominusque Ballovius, et nos de illo miserabili campo evadere potuimus. Deinde pagani Christianorum nostrorum sanguine debacchati versus civitatem Accon cum omni sua multitudine venire non distulerunt, quam violenter capientes, totam terram fere invaserunt : Jerusalem et Ascalon, et Tyro, et Berithon nobis, et Christianitati solis adhuc relictis. Istas etiam civitates omnibus earuin fere civibus interfectis, nisi divinum,

et vestrum præsto sit auxilium nullo modo retinere poterimus. Civitatem etiam Tyrum in præsentiarum acriter obsidentes, die noctuque, expugnare non cessant, et tanta est eorum copia, quod totam terræ faciem a Tyro usque ad Jerusalem, et usque ad Gazam velut formicæ cooperuerunt. Nobis ergo et Christianitati Orientis, ad præsens omnino deperdiæ, quantocius succurrere dignemini, ut per Deum et vestræ fraternitatis eminentiam, residuas civitates, vestro sulti adminiculo, salvare possimus. Valete.

V.

Ejusdem ad Henricum regem Anglorum. — De expugnatione Hierosolymæ.

(Ibid.)

Charissimo domino HENBICO, Dei gratia illustri Anglorum regi, duci Normannia et Aquitania, et comiti Andegaviæ, frater TERRICUS, quondam magnus præceptor domus Templi Hierusalem, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Sciatis quod Hierusalem cum arce David reddita est Saladino. Syri autem habent custodiam Sepulcri usque ad quartum diem post festum S. Michaelis; et ipse Saladinus in domo Hospitalis permisit remanere decem de fratribus Hospitalis ad custodiendum infirmos usque in unum annum. Fratres vero Hospitalis de Belliverio optime resistunt Saracenis adhuc, et duas jam caravanas Saracenorum expugnaverunt, in quarum alterius captione, omnia arma et uten-

silia et victuaria quæ erant in castro Fabæ, quod Saraceni destruxerant, viriliter lucrati sunt. Adhuc etiam resistunt Saladino Gragchus [Gregeus] Montis regalis, et Mons regalis, et Saphet Templi, et Gragchus Hospitalis, et Margatum, et castellum Blancum, et terra Tripolis, et terra Antiochiae. Capta autem Hierosolyma, Saladinus crucem de templo Domini deponi fecit, et eam per duos dies per civitatem in ostentum fustigando portari fecit. Deiude fecit templum Domini aqua rosata intus et exteriorius, sursum et deorsum lavari, et legem suam desuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. A festo vero S. Martini usque ad Circumcisionem Domini obsedit Tyrum, tredecim pierariis die nocteque, lapides in eam incessanter jactantibus. In

B vigilia S. Sylvestri dominus Conradus marchio milites et pedites per murum civitatis dispositi, et armatis septemdecim galeis et decem aliis naviculis, cum auxilio domus Hospitalis et fratum Templi adversus galeas Saladi dimicavit, easque expugnans, undecim ex eis retinuit, et magnum Alexandriæ admiraldum cum octo aliis admiraldis cepit, Saracenorum multitudine imperfecta. Reliquæ vero galeæ Saladi Christianorum manus evadentes, ad Saladi exercitum confugerunt, quibus præcepto, illius ad terram extractis, ipse Saladinus igne apposito in cinerem et favillam fecit redigi; nimioque dolore commotus, equi sui auriculas et caudam amputans, equum illum per totum exercitum videntibus omnibus equitavit. Valete.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ARNULFUS LEXOViensis EPISCOPUS.

Notitia.	9
J. A. Giles epistola dedicatoria.	15
J. A. Giles prefatio.	15
ARNULFI EPISTOLÆ AD HENRICUM II REGEM ANGLIÆ, S. THOMAM ARCHIEP. CANT. ET ALIOS.	17
I. — Præfatio ad Egidium archidiac. Rothom.	17
II. — Ad dominum papam Coelestimum.	18
III. — Ad eumdem.	19
IV. — Ad Robertum Lincolnensem episcopum.	20
V. — Ad Sugerium abbatem S. Dyonisi.	21
VI. — Ad dominum papam Eugenium.	21
VII. — Ad eumdem.	22
VIII. — Ad Daniælem priorem S. Barbaræ.	23
IX. — Ad Arnaldum Bonævallensem abbatem	23
X. — Ad dominum papam Alexandrum cum esset cancellarius.	23
XI. — Ad G. monialem.	23
XII. — Ad dominum papam Adrianum.	27
XIII. — Ad eumdem.	28
XIV. — Ad magistrum Petrum Helye.	29
XV. — Ad Arnaldum Bonævallensem abbatem.	29
XVI. — Ad Radulphum de Dicto Londoniensem archidiaconum.	29
XVII. — Ad papam Adrianum.	30
XVIII. — Ad Joannem Neapolitanum et Willelmum Pienensem cardinalem.	31
XIX. — Ad abbatem S. Ebruli.	33
XX. — Ad eumdem.	33
XXI. — Ad dominum papam Alexandrum, de promotione sua.	34
XXII. — Rescriptum domini papæ Alexandri.	36
XXIII. — Ad archiepiscopos e. episcopos Angliæ.	37
XXIV. — Ad cardinales Romanæ Ecclesiæ de electione domini papæ Alexandri.	40
XXV. — Ad Heircum Pisanum legatum Romanæ Ecclesiæ.	43
XXVI. — Ad eumden.	46
XXVII. — Ad Willemum Comonmannensem episcopum.	48
XXVIII. — Ad Hugonem Rothomagensem archiepiscopum.	48
XXIX. — Ad sanctum Thomam dum esset regis Angliæ cancellarius.	49
XXX. — Ad dominum papam Alexandrum.	50
XXXI. — Ad eumdem.	51
XXXII. — Ad eumdem.	53
XXXIII. — Ad Thomam Cantuariensem archiepiscopum.	53
XXXIV. — Ad eumdem.	56